

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ
AD STUDIOSAM JUVENTUTEM IN
Academia Wittebergenſi,

PRÆMISSA Τῆ ΕΞΗΓΗΣΕΙ

ΤΗΣ ΕΥΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑΣ
CHRISTIANÆ, PERTRACTATÆ
IN CONCIONE CHRISTI IN MONTE
HABITA, ET DESCRIPTA à MAT-
THÆO Capp. 5. 6. 7.

PERMISSU ET APPROBATIONE REVERENDÆ
Facultatis Theologica, deinceps σὺ θεῷ faciendæ,

IN QVA

Uſus Græcæ lingvæ in eruendo ſenſu genuino; cum
πολυσημασίαις vocum Græcarum; Syntaxeos, & Significationis
inde dependentis diverſitate; quæque loca N. T. ad hanc, quæ ad
illam vel aliam ſignificationem pertineant, indicatione;
cum multis aliis ſcitu dignis, oſten-
detur,

à

M. ERASMO SCHMIDT,
Græc. & Mathem. Prof. Publ.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXV.

15.

Handwritten signature and date: AX. 12. 6

Coll. diss. A
217, 16

Handwritten note: Diss. A. 217. 16



S. P.



Ravis est admonitio Apostoli i. Cor-
10. 31. *ἢτε ἐδίστε, ἢτε πίνετε, ἢτε τι ποιείτε,*
πάντα εἰς δόξαν θεοῦ ποιεῖτε.
Quæ ut in omnibus aliis, ita vel maxi-
mè *in actionibus nostri officii* locum ha-
bet. Si enim *in Edendo & Bibendo*, quorum utrum-
que à Deo nostræ necessitatis causa petimus & expe-
ctamus, hoc requirit Apostolus: multo magis *in Offi-*
cii, ad quod divinitus, mediante Magistratu, vocati
sumus, *actionibus*, quas Deus ut usuram Talenti com-
missi, in honorem sui à nobis postulat; plurimum va-
lere debet. Ideoque & nos, qui Lingvas & Artes, vi-
tæ humanæ, imò ædificio Tabernaculi Ecclesiastici
utiles & necessarias, Deo & Magistratu jubente doce-
mus, ad hunc præcipuè scopum, *ut Gloria Dei, & adifi-*
cationi Ecclesie inserviamus, collimare decet. Quod ut
ego quoque, cui à Serenissimo Magistratu, *Lingvæ Græ-*
cæ doctrina commissa est, meo loco facerem; semper
id pensavi habui, ut Græcæ lingvæ cognitionem, *ad Sacri*
Codicis Novi Testamenti lectionem & intellectum dirige-
rem. Etsi enim (uti solent unius rei plures esse fines)
cognitionis Lingvæ illius plures sunt fines, adeoq; in
omnes quas vulgò vocant Facultates sese diffunden-
tes: cum tamen præcipuum existimo, qui est *Sacra Scri-*
ptura Novi Testamenti, eiusq; intellectui genuino inservi-
re. Sine hoc enim, Nullus Articulus Fidei, certus & in-
dubita-



dubitatus esse; Nulla controversia rectè decidi; Nulli àντι-
 πλέγοντες ἐλέγχου; Nulla antecedentia cum consequen-
 tibus & contrà, rectè conferri; Nulla ἀντιλογία φαινομένη
 conciliari; Nulla ὁμωνυμία distingvi; Nulla ἔμφασις la-
 tens erui potest; sed in plerisque Cœlestis ille Thesaurus
 Scripturæ Novi Testamenti, nobis defossus & abscondi-
 tus manet. Quin imò nec rectè sine eo in alias lingvas Tex-
 tus sacer transferetur: sed sæpè pro Cepis Allia (ut in
 Proverbio est) Lectori obtrudentur; & in discrepantia
 Versionum, utra sequenda sit, incerti fluctuabimus.
 Quod pluribus locis evincere possem, si charta caperet.
 Ut ex tantùm non infinitis unicum producam: 2. Thef. 1.
 11. Div. Paulus pro Thessalonicensibus orat, ut Deus ipsis
 πληρώσῃ πᾶσαν ἐδοκίαν ἀγαθωσύνης, καὶ ἔργον πίστεως, ἐν δυνάμει.
 Hunc locum Erasmus reddit, *Compleat omne bonum-propo-*
situm bonitatis, & opus Fidei, cum potentia [i. e. potenter.]
 Exponitq; *de bono proposito, & opere seu effecto Fidei Thes-*
salonicensium. Theodorus verò Beza omnia hæc *de Deo*
ipso, eiusq; gratuita bonitate, & de effectione Fidei in nobis
accipit, atq; ita vertit, Compleat omnem suæ [hoc enim
inferit, quod Textus non habet, & Erasmus dudum expun-
gendum notavit,] bonitatis gratuitam benevolentiam, & o-
pus Fidei, potenter. Utraque sententia (neque enim nunc
 plures committam) in se extra hunc contextum confide-
 rata, sese facilè tuetur. Ultra autem menti Apostolicæ
 HOC LOCO congruat? & quum utraque non possit, u-
 tra sit alterâ rejectâ retinenda? dubitare in proclivi est.
 Uterque Interpres communi iudicio Vir doctissimus; u-
 terque autoritate pollentissimus; uterque in aliis locis
 felicitate & dexteritate Versionis spectatissimus; utrius-
 que etiam hallucinationes alicubi non ignotæ. Utri ergò
 assentiendum? Utrius sensus amplectendus vel repudi-
 andus? quum uterque, propter insignem discrepantiam

(partim in *Objecto petitionis Apostolica*, ἀγαθωσίῃ, quam
 Beza Deo, Erasmus Thessalonicensibus tribuit; par-
 tim in *Adjuncto hujus ἀγαθωσίῃς*, quod Erasmus ex
 voce εὐδοκία, in Spontaneo proposito Thessalonicen-
 sium, Beza verò in Gratuita benevolentia Dei col-
 locat; [tamen si hoc suo modo etiã ad causam ἀγαθωσίῃς
 referri possit] partim in *Effectu Fidei Thessalonicensium*,
 quem Erasmus agnoscit, Beza verò in Operationem Fi-
 dei divinam convertit) retineri nequeat. Nemo hinc de-
 cisionem faciet, nisi qui Linguae Græcæ idioma rectè cal-
 leat. Nam, ut de *Εὐδοκία* (quæ & Deo, & Hominibus, di-
 versis in locis, suo sensu tribuitur) jam non dicam, Nisi
 quis sciat, *quid differant Nomina in οσωίῃ per ο, & in ωσωίῃ
 per ω; & quid significet τὸ ἔργον*: nunquã ex hoc Labyrintho,
 quem nobis temeritas Architectorum Turris Babylo-
 nicæ, imò Ignorantia congenita extruxit, & ex quo evasu-
 ris solus Spiritus Sanctus, per *χαρίσματα* Lingvarum, fi-
 lum Ariadnæum, beneficio Grammatices porrexit, eva-
 det. Si quis verò novit, *Nomina in οσωίῃ esse Denominati-
 va*, significantia qualitatem quocunque modo acqui-
 sitam, vel actionem à tali qualitate procedentem; ut à σω-
 φρων, *temperans*, est ἡ σωφροσύνη, *temperantia*: à δίκαιος, *ju-
 stus*, est ἡ δικαιοσύνη, *justitia*, *qualitas justii*, vel etiam *actio
 à qualitate justii procedens*. [Quatenus Justitiam Imputa-
 tam significet, alibi ostendetur.] *Nomina verò in ωσωίῃ
 esse Verbalia* significantia effectiorem rei signatæ; ut ἀγιω-
 σύῃ, non est *Sanctitas*, sed *Sanctificatio*, *Sanctitatis effectio*,
 ab ἀγιάω, *Sanctifico*; sicut ad Rom. 1. 4 / 2. Cor. 7. 1 / 1. Thes. 3.
 13. suo tempore ostendi poterit, *εἰάν ὁ κύριος θελήσῃ*. Sic
 ἱερωσύῃ, *Sacrificatio*, Heb. 7. 11. 12. 14. 24. ab ἱερόω, *sacro*.
 Sic ἀγαθωσύῃ, non *probitas* (quæ esset ἀγαθοσύῃ per ο, si u-
 sus ferret) sed *probitatis effectio*, & ut ita dicã, *Probitatio*,
 h. e. *interior dispositio gratiosa Renatorum ad probitatem*,
 seu

sen ad obediendum dacti Spiritus S. ab ipso Spiritu San-
cto collata; siquidem καρπὸς Πνεύματος dicitur Gal. 5. 22.
 analogicè ab ἀγαθῶν, *probum facio*, licet in usu non inven-
 tum sit haecenus, quod sciam. Si quis, inquam, hoc dis-
 crimen novit: is facilè videbit, ἀγαθωσύνη, *non Dei*, cui
 talis collatio bonitatis non competit, *sed Thessalonicensi-*
um, ab Apostolo denotari: & proinde etiam τὴν ἑδοκίαν
 ἀγαθωσύνης, *non Dei, sed Thessalonicensium* intelligendam
 esse. Rursus, qui scit, τὸ ἔργον semper significare *Opera-*
tionem effectam vel efficiendam ejus Personæ vel Rei, aut
factam ad jura vel normam illius Personæ vel Rei, quæ Ge-
nitivo addito exprimitur; v. g. ut à Profanorum Auto-
rum exemplis, quæ adduci possent plurima, nunc abs-
tineam, PERSONÆ. ἔργα Θεῶν, Joh. 6. 28. 29 / Rom. 14. 20. /
τῶν κυρίων. 1. Cor. 15. 58 / 16. 10. / χειρῶν. Matth. 11. 2 / Philip. 2. 30. /
Εὐαγγελιστῶν. 2. Tim. 2. 5. / τῶν πατέρων. Luc. 11. 78 / τῶν χειρῶν,
per quas Synecdochicè ipsa Persona notatur. Act. 7. 41. /
Hebr. 1. 10. / 2. 7. / Apoc. 9. 20. / Νικολαϊτῶν. Apoc. 2. 6. /
τῆς Διαβόλης. 1. Joh. 3. 8. & c. REI. ἔργα τῶν νόμων, quæ fiunt ad
prescriptum Legis. Rom. 3. 20. 28. / 9. 32. / Gal. 2. 16. ter. / 3. 2. 5.
& c. / μετάνοιας. Act. 26. 10. / Ἀδικονίας. Eph. 4. 12. / τῆς σαρκός.
Gal. 5. 19. / τῆς σκότητος. Rom. 13. 12. / τῆς ἀσεβείας. Judæ 15. /
 Imò & in ipsissimis terminis terminantibus, planè ut hoc
 loco, ἔργον πίστεως, 1. Thes. 1. 3. μνημοὶ εὐόντες ὑμῶν τῶν ἔργων τῆς πί-
 στευς, καὶ τῶν κόπων τῆς ἀγότης. Ubi certè manifestum est, *non*
Operationem vel Effectationem Fidei, ita ut Fides efficiatur;
sed Effectum Fidei, quem Fides producit, significari: sicut &
 in annotatis hisce locis omnibus, *non Opera operantia*
Personam vel Rem Genitivo addito signatam; sed Opera
effecta à Personis vel Rebus, vel secundum normam earum,
 intelliguntur. Nec ullum exemplum pro altera senten-
 tia afferri potest, cui potius vox ἐργασία convenit, ut Eph.

4.19. ἔργασια ἀκαταργεία πάσης: ubi ἡ ἔργασια, operatio operans seu efficiens τὴν ἀκαταργείαν, tanquam τὸ ἐργασμῶν, rectè dicitur. Differentia manifesta est. Nam ἡ ἔργασια est operatio efficiens, & post se relinquens effectum, v. g. ἀκαταργείαν, in allato exemplo: τὸ ἔργον verò non relinquit post se opus propriè, sed est ipsum Opus eius Persona vel Rei, cuius est ἔργον. Qui, inquam, hoc scit ex idiomate Græco, & ita ἔργον ab ἔργασια discernere potest: is facilè videt, rectè vertisse Erasimum, perperam autem Bezam; & locum hunc 2. Thes. 1. 11. neque de Ἐδονία bonitatis divina, neque de divina operatione Fidei: sed de Bono proposito, & Fructu Fidei Thessalonicensium, ex mente Apostolica accipiendum esse. Sanè puerilia hæc vulgò existimantur, quæ de Terminationibus Nominum, & Significationibus vocum traduntur, & ad Hypodidasalos remittenda. At revera, si quis hæc puerilia, uti censentur, non didicit; ad Sacræ Scripturæ Novi Testamenti tractationem planè illotis manibus accedit. Et ut uti susq; deq; habeatur cura Grammaticæ: necessariam tamen eam esse, præter hoc, multis aliis exemplis ostendi posset, si res ferret.

Insignem ergò hunc usum linguæ Græcæ in Sacris perpendens, & simul non tantùm præscripto Electorali, quod Græcam linguam docenti, Textum interdum aliquem Sacrum Novi Testamenti, Profanorum Autorum explicationi interponere præcipit; sed & Amicorum hortatibus morem gerens, ut hæctenus per hosce XXVIII. annos novies feci, ita nunc decimâ operâ eundem usum, post Homeri, Hesiodi, Pindari, Lycophronis, Sophoclis, Apollonii, Demosthenis, Isocratis, Plutarchi, & aliorum ἐξήγησιν, in Sacris deinceps σὺν Θεῷ ostendam, & ἘΤΔΑΙΜΟΝΟΛΟΓΙΑΝ illam Christianam, comprehensam in Concione CHRISTI, in Monte habita, & à Mattheo Capp. 5. 6. 7. consignata,

signata; explicabo, ita quidem ut non tantum genuinum
sensus cuiusque versiculi tradam, sed & πολυσημίας vo-
cum Græcarum; Syntaxeos item, & Significationis inde
dependentis diversitates; quæquæ loca N. T. ad hanc, quæ ad
illam, vel aliã significationem propriè sint referenda, in-
dicem: adeò ut non tantum *Succincti Commentarii*, sed &
accurati Lexici particularis, earum scilicet vocum præci-
puè quæ hisce Capitibus tribus continentur, (cuius usus
maximus esse poterit pro vero intellectu earundem vo-
cum etiam aliis in locis Novi Testamenti inventarum)
instar haberi hæc Opera possit. Scio sanè, Theologi-
ca tractare mei muneris non esse: sed usum tamen Græ-
cæ lingvæ in Sacro Codice ostendere, omnino mihi in-
iunctum esse agnosco. Quod quia absque òmni attactu
rerum Theologicarum fieri nequit: *cum permissu, imò
consensu & approbatione Reverendæ Facultatis Theologicæ,*
rem auspice Spiritu Sancto sum aggressus,

*Atque ita Theologia studeo inservire. Negato
Auro, indefessus tenuia fila traham.
Viribus interea nostris, nostrisquæ lacertis,
Condere opus tantum molis erit nimia;
Ni Deus omnipotens, facilisquæ bonusquæ laborem
Promoveas. Te unum supplice voce rogo:
Alme DEUS, sanam da sano in corpore mentem;
Aura mihi aspiret Flaminis ætherii.
Conscia da sibi mens alacri cœpisse calore,
Pergat, nec tanto pondere pressa cadat.
Nec studium Veri desit. Contentio cesset.
Dicendi Verum regnet Eleutheria.
Insideat menti Veneratio relligiosa:
Tractandi Levitas esto propbana procul.
Denique,*

Denique, *SANCTA TRIAS*, toti dux esto labori,
Serviat ut laudi Mensq; Manusq; tua!

Faciam autem initium huius Operæ σω̄ θεῶ̄ hora die cra-
stini I. p. m. Pro qua commodius pertexenda, semper ad
manum habendum erit Dominis Auditoris, *Novi Testa-
menti exemplar Græcum aut Græcolatinum, versibus distin-
ctum.* Deus nobis, cum Sanitate, Halcyonia Pacis al-
mæ, in hoc strepitu bellico nos undiq; circumsonante,
ex gratia concedat; nec sinat hanc suam vineam, quam
dexterâ suâ plantavit ipse, vastari, sed eam sub umbra a-
larum suarumperpetuò protegat & conservet, per & pro-
pter Filium *JESUM CHRISTUM*, Amen. B. V.

Propos. Wittebergæ, Dominica I. Adventus,
anno Epochæ Christianorum affecto,
M. DC. XXV.



Coll. diss. A. 217, misc. 16